



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XVI. Quod verum solatium in solo Deo est quærendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Tua voluntas mea fit: & mea voluntas tuam semper sequatur, & optime ei concordet.

Sit mihi unum velle, & nolle tecum: nec aliud posse, velle, aut nolle, nisi quod tu vis, & nolis.

2. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt: & propter te amare contemni, & nesciri in hoc seculo.

Da mihi super omnia desiderata in te requiescere, & cor meum in te pacificare.

Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura, & inquietata: *In hac pace in idipsum, hoc est, in te uno summo æterno bono, dormiam, & requiescam.*

### CAPUT XVI.

*Quod verum solatium in solo Deo est querendum.*

I. **Q**uidquid desiderare possum, vel cogitare ad solatium meum, non hic expecto, sed in posterum.

Quod si omnia solatia mundi solus

ius haberem, & omnibus delictis  
frui possem, certum est, quod diu  
durare non possent.

Unde non poteris anima mea ple-  
ne consolari, nec perfecte recreari,  
nisi in Deo consolatore pauperum, &  
susceptore humilium.

Expecta modicum anima mea, ex-  
pecta Divinum promissum, & habe-  
bis abundantiam omnium in coelo.

Si nimis inordinate ista appeti-  
praesentia, perdes aeterna, & coele-  
stia.

Sint temporalia in usu, aeterna in  
desiderio.

Non potes aliquo bono temporalium  
fatiari, quia ad haec fruenda non es  
creata.

2. Etiam si omnia creata haberes  
bona, non posses esse felix, & bea-  
ta: sed in Deo, qui cuncta creavit  
tota beatitudo tua, & felicitas con-  
sistit.

Non qualis videtur, & laudatur a  
stultis mundi amatoribus; sed qua-  
lem

lem expectant boni Christi fideles,  
& prægustant interdum spirituales  
ac mundi corde, quorum conversa-  
tio est in coelis.

Parum est, & breve omne huma-  
num solatium.

Beatum, & verum solatium, quod  
intus a veritate percipitur.

Devotus homo ubique secum fert  
consolatorem suum Jesum, & dicit  
ad eum: *Adesto mihi Domine Jezu*  
*in omni loco, & tempore.*

Hæc mihi sit consolatio, liben-  
ter velle carere omni humano so-  
latio.

Et si tua defuerit consolatio, sit  
mihi tua voluntas, & iusta proba-  
tio, pro summo solatio.

*Non enim in perpetuum irasceris,*  
*neque in æternum comminaberis.*

CAPUT XVII.

*Quod omnis sollicitudo in Deo statuenda.*

**F**ili, sine me tecum agere, quod  
volo, ego scio, quid expedit.

**L**

**Tu**